

COMPARATIONIS,  
INTER  
*IPHIGENIAM IN AULIDE,*  
*EURIPIDIS & RACINII,*

PARTEM PRIOREM,  
ANNUENTE AMPLISS. PHILOSOPH. ORD. IN IMPER.  
LYCEO ABOÆNSI,

DISQUISITIONI PUBLICÆ,

In Auditorio Medico die xxx Maji MDCCCXII

h. a. m. s.

*modeste subjiciunt*

*Mag. FREDR. WILH. PIPPING,*

*Litteraturæ Græcæ Docens atque Aman. Biblioth.*

*Academ. Ordinarius,*

ET

RESPONDENS

*ADOLPHUS JOHANNES ARWIDSSON,*

*Viburg.*

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.





**H**umana quamplurima mutat, corrigit, tollit, varia tam gentibus & imperiis, quam singulis hominum, fata volvens novique ferax ætas; cave tamen putes, certi, recti & utilis nihil esse in iis, quæ antiquo ornatu incedentia, suam a nostris sensibus discrepantiam, per longum annorum ordinem indies auctam, præ se ferunt: quin potius concedas, verum, pulchrum & honestum, divinam homines alliciendi vim omni ævo exseruisse, adhuc semper effecturam, ut in iis quæ circa ipsa vel cognitionis, vel sensuum, vel voluntatis humanæ principia versantur, minus re & factis, quam forma & verbis, dissentiant sapientiores quotquot sint hominum. *Opinionum enim commenta dælet dies, naturæ judicia confirmat.* Quod eo usque valet, ut, quamvis nihil forsitan deprehendatur, cujus principia minus absoluta sint, quam pulchri illius, una fere concinat omnium temporum consensus in judiciis ferendis de præstantissimis quibusdam ingenii & artis operibus, omnium oculos in se intentos apta & amœna illa suavitate, qua naturæ ipsius imaginem fe-



licissime referunt, retinentibus. Unde nec difficile est explicatu, qui fiat, ut antiquitatis excellentissima in suo quævis genere monumenta, non tantum varia ratione ad nos transferre, verum etiam imitatione assequi, nostri homines haud pauci ament. Absit tamen ut negemus vim, qua ad speciem rerum immutandam, adeoque etiam pretium earum, quatenus ab illa pendet, vel augendum, vel minuendum, temporum, locorum hominumque varietas & ex hac nata diversa culturæ, institutorum morumque indoles, eximium in modum confert. Non omnia cuivis ævo probata placent. Qui igitur antiquos felici successu imitari velint, summa in id opera enitantur, ut quod cuique ætati aptum, quod cuique populo proprium, vel natura dederit, vel ars fixerit, probe perspectum observent & in suos usus convertant, prout temporis & instituti rationes ferant. Quæ quo magis variare solent, eo etiam utilius & jucundius est cuique, vires in bonarum artium palæstra exercendi pericula facienti, vestigia attento oculo conferre hominum diversæ ætatis, qui in una eademque materia ad communem finem perducenda occupati, diversam viam inierunt; comparatione enim hac aditus, & ad genium sæculorum contemplandum, & ad artis imitandi præcepta cognoscenda, patet. Nos igitur, tam nobis ipsis commoda, e litteris veterum & recentiorum gentium collatis oriunda, arripere, quam aliis, qui forte loca nobis amœna hæc investigare molestum haud duxerint, gratum quid facere, cupientes, Tragediam celebratissimam *Iphigeniæ in Aulide*, a Pœtis, altero Græcorum, Gallorum altero, clarissimis, EURIPIDE & RACINIO, haud parum dissimili arte expressam, nobis examinandam sumimus, convenientiam & discrepantiam utriusque poëmatis comparati, bona B. Lectoris venia indagaturi. — Quo in opere eum servabimus ordinem, ut *fabula* vel *actione*, quæ ex diversis fontibus hausta, aliam EURIPIDI, aliam RACINIO rei notionem obtulit, considerata, &

æco-

*œconomia* exposita dramatum nostrorum, ad differentias, tam *dispositionis*, quam ipsius *dictionis* vel *stili*, quantum instituti ratio postulet, respiciamus, & tandem *mores* hominum, qui agentes occurrunt, conseramus.

En igitur primo *fabulam* tragœdiæ, qualis *Atheniensi Poëtæ* arrisit. — Classe Græcorum, ad Trojam excidio delendam funestissimo festinantium, in *Aulide Boeotiæ*, ventis aut silentibus, aut contraria vehementer spirantibus, diu detenta, faustam navigationem futuram, si Dianam, loci prælidem, sanguine *Iphigeniæ*, ducis *Agamemnonis* filiæ, placaverint, *Calchas*, fatorum interpretæ longe eximius, prædixit; quare nuntio patet misso, Argis accessit virginem, veram vocandi causam falsa specie nuptiarum tegens, quibus *Achilli*, fortissimo heroi, eam jungeret. Hac igitur, matre *Clytemnestra* comite, ad castra properante, consilium quidem acerbum mox apertum est, sed, dura necessitate sacrificii imminente, minime mutatum. Ducta autem jam ad aram cum esset virgo, Dea ipsa, omnibus sacro officio intentis & sacerdote guttur feriente, e conspectu hominum eam eripuit, cervam subjiciens, cujus cæde litatum est.

Ficta quæ sit materia hujus fabulæ, ex ingenio vatis ortum suum habens ductum, quæque e præteritorum temporum monumentis quibusdam congecta, nobis, longa sæculorum ferie a facti ipsius tempore remotis, haud proclive est dictum; in diversas enim, immo contrarias, abierunt sententias antiqui jam ipsi, sacrificii illius, fama sine dubio per cunctam Græciam divulgati, memoriam posteris tradentes. Nec multum scire refert quid verum, quid minus, in his narrationibus sit; cardo enim rei non in eo vertitur, ut vera, sed ut veri similia,

in scena agantur. Sufficiat igitur monuisse, aliorum scriptorum auctoritate destitutam saltem non esse Euripideam facti expositionem, cum & patres ipsi poetarum historicorumque, HOMERUS (a), HESIODUS (b), atque HERODOTUS (c), & recentiorum, OVIDIUS (d), ANTONINUS LIBERALIS (e), PAUSANIAS (f), HYGINUS (g), TZETZES (h) atque COLUMNA (i), de *Iphigenia* non modo non maectata, sed a Diana in Tauricam regionem avecta, sacris templi quod ibidem floruit praefecta, vel divino ipsa honore cuncta, in patriam tandem reduce, ibique mortua, haud obscuris verbis, quamvis vario quisque rationum sibi cognitarum, faciem rei paullulum mutantium, respectu habito, loquantur, quidam etiam sermonibus hominum evagantem, de cerva, vel ursa, vel tauro, vel anu, in locum puell-

a) *Iliad.* IX. 145 sqq. & 286 sqq. Observandum enim est, *Iphianassam* eandem esse quae aliis *Iphigenia* audit; quemadmodum videre est e LUGRETI *de ver. nat.* I. 185. & *Schol.* ad EURIP. *Orest.* 659.

b) In deperdito *Κατάλογον γυναικῶν*, teste PAUSANIA *Attic.* XLIII.

c) *Melpom.* p. 161 edit. Steph. 157a.

d) *Metamorphos.* XII. 24 sqq. & *Trist.* Lib. IV. Eleg. IV.

e) *Fab.* XXVII.

f) *Attic.* XXXIII & XLIII. *Lacon.* XVI. & *Boeot.* XIX.

g) *Fab.* XCVIII & CXX.

h) ad LYCOPHRONIS *Alexandr.* 183.

i) ad ENNII *Iphigeniam*, de virginis mutatione tradentes MEMELIUM, NICANDRUM PHANODEMUMQUE commemorans.

puellæ immolandæ subjecta, famam referentes, nulla falsi suspitione interposita,

Initia *Gallicæ fabulæ* eadem sunt, quæ originem dederunt vaticinio supra exposito, quo *Calchas* sanguinem *Iphigeniæ* Deorum nomine postulavit; causa autem, qua *Agamemnon* utitur ad filiam alliciendam, ex amore sumpta est, non ficto, sed vero, cum diu jam mulierculam in deliciis habuisse, quamvis toro sibi jungendam eam nondum sperans, censeatur *Achilles*. Adveniente igitur, cum *Iphigenia*, *Eriphile* quadam, captivam e *Lesbo* vastato quam *Argos* olim duxit *Achilles*, implexam magis formam assumit actio, duplici amore *Iphigeniæ* *Eriphilesque* impedita, quarum illa, inani spe nuptiarum frustrata, *Pelidem*, fraudis ab *Agamemnone* structæ inscium, perfidiæ accusat, hæc autem, victoris amabilis forma & mansuetudine capta, consilia clam agitatur, quibus invisam sibi æmulam perdat, mox vero amentis cupiditatis pœnas dat horrendas, cum, *Iphigenia* jam ante aram stante, *Calchas* aliam ejusdem nominis virginem, clandestino *Thesei* complexu ab *Helena* editam, in *Eriphilem* falso nomine præsentem monstrans, a Diis innui declarat. Ipsa enim furore acta, violentam sibi infert manum, gratum *Dianæ* sacrificium præbens, quo peracto voti sui compotes Græci fiunt.

Rationes, cur a simplici exempli sibi propositi indolescescerit *RACINIUS*, ipse in præfatione operi suo præmissa reddit, ineptam judicans suis temporibus solutionem fabulæ, a machina vel numine, mutationem miram faciente, petitam, optimisque simul auspiciis inventam exaltans *Eriphiles* personam, quippe quæ ad similitudinem antiquarum plurimarum de altera *Iphigenia* narrationum ficta, peripetiam ex ipso dramatis argumento oriundam paret. Nec dubium est, quin implici-

plicita actione gratisimam reddiderit fabulam sensibus civium  
 suorum, e sublimi illa naturæ ipsius simplicitate, qua EURIPIDES  
 animos Atheniensium pavit, parum delectationis capientium,  
 cum morum dissimilitudo varietatem etiam gustus gignat; sed jure  
 nihilominus quæritur, an felici satis successu historię vestigia  
 factus sit tragœdiæque vi atque dignitati consuluerit mutatione  
 facta, qua convenientior fortan genuitæ facti indoli alia præ-  
 stitit esse potuisset poëte, eo majoris sua æstimanti, quo propi-  
 us ad speciem operis accederent, cujus simulacra reddere vo-  
 luerit. Tantum enim abest ut duas ejusdem nominis puellas,  
 antiquo ævo notas, prædicent, qui de *Iphigeniâ* immolatione  
 scripserunt, ut contra omnes inter conveniat, unam eandemque  
 ab aliis *Agamemnone* & *Clytamnestra* nam, ab aliis horum  
 tantum studio educatam *Heleñæ* cum *Theseo* filiam, dictam es-  
 se. Quin & ipse PAUSANIAS, cujus fidei acceptam refert RA-  
 CINIUS novam rei notionem, partibus hujus minime favet, præ-  
 ter multa contraria, locis jam collatis occurrentia, in *Corinth.*  
 XXII, a nostro etiam indicato, dicens: ἔχειν μὲν γὰρ αὐτὴν  
 (Helenam) λέγουσιν ἐν γαστρὶ, τεκῆσαν δὲ ἐν Ἀργεῖ, καὶ τῆς Εἰ-  
 ληθύϊας ἰδρυσαμένην τὸ ἱερόν, τὴν μὲν παῖδα ἦν ἔτεκε, Κλυται-  
 μνήστρα δέναι (συννοεῖν γὰρ ἤδη Κλυταιμνήστραν Ἀγαμέμνονι) αὐ-  
 τὴν δὲ ὕπερον τῶν Μενελάω γήμαθαι καὶ ἐπὶ τῷδε Ἐυφορίων  
 Χαλκιδεύς, καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος ἐπη ποιήσαντες, πρότερον  
 δὲ ἐπὶ Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος, κατὰ ταυτὰ φασὶν Ἀργείοις Θη-  
 σέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιδέειαν. Eodem fere modo TZETZES  
 loco super allato hanc historiam exponit. Longa autem dis-  
 putatione quæstionem ut enodemus non est, cum Tragico et-  
 iam poëte materiam eligerdi venia danda sit, nec sane diu in  
 ejusdem inventione hæsissemus, nisi e veterum judiciiis suam  
 ideam exprimendi labore RACINIUS ipse graviter se toruisset.  
 Majoris momenti sunt rationes, quibus vis totius tragœdiæ,  
 nova fabulæ specie mota desinaxaque, computanda est. Quem-  
 ad-





admodum enim unam tantum esse oportet in quovis dramate actionem primariam, cujus partes singulae ita cohaereant, ut totum aliquod efficiant, in quo nihil sit superfluum, nihil desideretur; ita EURIPIDES, oculo in sacrificium liberationemque *Iphigeniae*, ut in vitae metam, intento, ex ipsa tantum oraculi jubentis natura tam vim, ad accelerandum eventum necessariam, eliciendam, quam impedimenta, eundem retardantia nodumque necessentia, oriunda esse judicans, *Iphigeniam* sibi finxit inter officium, Deorum patrisque auctoritati, non minus quam gloriae utilitatisque patriae, debitum, praestandi studium, & dulcem vitae juvenilis conservandae cupiditatem, verbo, inter affectus, ab ipsa facti indole excitatos, honestissimos, suspensam, e periculo eam non esse eripiendam simul sentiens, nisi iisdem viribus, quibus & incepta & implicita fuit tota actio, numine scilicet, ubi dignus vindice nodus sit, interveniente. — Aliter Gallus. Duplicem amorem, *Iphigeniae* nempe *Achillis*que mutuum, *Eriphiles*que in hunc, ad actum & retardandum & incitandum adhibens animosque nostros in diversos sensus abripiens, dubios nos relinquit, utrum *Iphigeniae* incolumitas & conservatio, an amores & victoria, a callida improbaque aemula reportata, dramatis sit centrum, in quod caetera omnia, radiorum instar, concurrant facta; quibus perpensis nec discernere possumus, quanam primas in agendo gerat partes, *Iphigenia* an *Eriphile*, utraque benignam sui miserationem excitante. Unitate igitur actionis neglecta, vim tragoediae, in diversas quasi partes distributam, valde infirmam reddidit RACINIUS: & haud scimus, an virginis, nullo saltem scelere contaminatae, quanquam nec innoxiae, sanguine delectatam Dianam ostendens, satis dignam se & hominibus, tam agentibus, quam spectantibus, rem protulerit. Quodsi autem fide digna haud esse possit apud nos, ut apud Graecos, *Iphigeniae* in cervam metamorphosis; numne etiam iisdem ex caulibus tota fabula, in dubium

VO-

vocata, nostris temporibus inepta habenda esset, cum numina, ex hominum quorundam, sacrorum puto, ore, quæ futura aliisque operta sunt, fundentia, humanaque cæde cruenta, a nostris sensibus semper abhorreant? Omnem vero miraculi speciem evitare volens RACINIUS, cur, quæso, Deos, sanguine *Eriphiles* placatos, fulmine tonitruque præsentiam indicantes suam, secundosque ventorum flatus velis immittentes, poemati suo adhibuit? (k) Hæc omnia, iusta, ut par est, trutinæ examinans &, tam sublata maxime incredibili Græci carminis nota, quam propius ad fontes revocata Gallicæ imitationis luxuria, medium tenens, felici admodum ingenio nostris usibus accommodavit Tragœdiam, multis nominibus quæ pulcherrima salutetur dignissimam, paraphræcos ejusdem Suecicæ auctor Nobiliss. ADLERBETH, Dianam *Calchantæ* interprete jubentem sistens, ut vitæ parcatur virginis, sacro, hominibus gratiam numinis, precibus & sacrificiis, in æde Taurica conciliandi officio, non morti, devovendæ (l).

Tanta

- 
- k) Dianam etiam, nube velatam, e cœlo descendisse visam ait, libationes & suffimenta sibi oblata gustaturam; sed fidem ostento, a plebe tantum credito, ipsis suis abrogare voluisse videtur verbis, quæ ita sonant:

*Le soldat étonné dit que dans une nue  
Jusques sur le bucher Diane est descendue;  
Et croit que s'élevant au travers de ses feux,  
Elle portoit au ciel notre encens et nos vœux. Scen. ult.*

- l) Cfr. *Iphigenie*, Tragedie uti 3<sup>o</sup> Acter med Chorer, uti Deras Kongl. Majestätens och Kongl. Huset närvaro, första gången uppförd d. 7 Apr. 1777, denuo etiam edita in collectionis operum Clariss. viri, cui inscribitur GUDM. JÖR, ADLERBETHS *pöetiska arbeten*, volum. 1; o,

Tanta diversitate cum a se invicem aberraverint, fundamenta operis sui condentes, EURIPIDES & RACINIUS, non est ut speret quis majorem in eodem consummato formæ convenientiam; quæ quanta sit ostensuri, ad *œconomiam* utriusque dramatis accuratius inspicendam nos jam accingamus. Animos spectantium, ad gravitatem actus solempiter jam in ipso initio componendos, sacro motu perstringens EURIPIDES, sublustris noctis in silentio e tentorio ruentem profert *Agamemnonem*. Adhuc Sirius & Plejades per medium cœlum sublimes feruntur, & mortales, alta quiete sopitos, non avium clangor, non maris ventorumve strepitus movet; at ducem exercitus acuti curarum stimuli agitant. Senem ministrum vocat, cum quo ingressus, excellæ fortis inanem gloriam & lubricam fortunæ varietatem dolens, ignobilisque vitæ securam tranquillitatem laudans, epistolam, litteris sæpe confusis, deletis, repositis, scribit, signat, resolvit, largas lacrimas fundens. Fido tandem servo, ut pars curarum in se devolvatur obsecranti, narrat, dextra data jurejurandoque sancito fœdere opem pollicitos esse omnes Helenæ procos ei, quicumque matrimonio eam nactus, vim cujusdam, uxorem abripiens, passurus esset, qua actos religionem Græcos ad arma ruentes, Paridi, *Menelaum* qui decipiens Helena abrepta in Trojam jam abiit, mortem, regnoque Priami ruinam, illaturos, sed longa ventorum iniquitate in angusto Aulidis sinu pressos, a Deorum oraculis responsam tulisse, mandandam esse Artemidi, suo locum numine regenti, filiam dilectissimam *Iphigeniam*: sic enim navigationem & dimicationem prosperam futuram. Addit, jussi captum horrore se dimittere voluisse exercitum, dignitate & gloria omni rejecta, sed fratris *Menelab*, multa rem suadentia argumenta proferentis, monitis victum tandem, uxori scripsisse, ut ad castra mitteret filiam, viro omnium Græcorum laudibus excellentissimo laudandam; jam vero mutato, ut patrem

decet, confilio, novas per noctem exaratas, mandata retracturas, litteras, nuptiis in aliud tempus quasi dilatis, seruo tradit, occulte, festinanter studioseque *Clytæmnestræ* obviam ferendas. Stupet, miratur senex; sermonem regis interpellans quærit, qui talia *Achilli* mendacia obtrudere audeat, quid fidem nuntio addat. Nil horum novit heros, nomen tantum hymæneis præbens: fide sigilla, probe servata, & litteris consonans oratio haud carebunt; nec mora, aurora jam adest, jam abeundum. Incipit chorus Aulidensium Chalcidensiumque mulierum, longo carmine copias Græcas recensens & res gestas laudesque principum eas ducentium celebrans. — Interim seni festinanti occurrit *Menelaus*, exhortationibus, minis, vi, litteras ab invito, reluctantem, dominam tandem accurrentem appellante, auferens. Ad fratres sic transfertur contentio: movet hunc moleste sedula, vel maxime tecta odorans vestigia, illius temeritas, illum contra inconstantia & levitas fratris, amici, imperatoris, nunc humili ambitione imperium quærentis & omnia communi commodo jura sua sponte cedentis, nunc metu, ne honore & potentia privetur, adempto, clandestina quod promissit populo machinatione irritum facientis. Honestum, officii dura quod jubet necessitas, proprii commodi studio haud postponendum, acriter urget *Menelaus*; æquitatis vero mitiori iudicio officia secum invicem pugnantia æstimanda putans *Agamemnon*, indignam se crudelitatem in proximos, pœnam alieni mali daturus, insanam formosæ sed improbæ conjugis desiderium, & turpes jam complexus fugiendos, dicit. Aliorum igitur imploraturus auxilia alter in eo jam est ut abeat, cum inopinato nuntiatur, *Clytæmnestram* cum *Iphigenia* & *Oreste*, filio parvulo, haud procul abesse. Miserrimam fortunæ suæ conditionem lamentatur tristissimus *Agamemnon*; lacrimari pudet: quomodo autem sine lacrimis carissima capita, ad perniciosam in ipso conjugis, patris, gremio ruentia, excipiet? Fle-  
bili

bili voce saturaam supplicis filiae querelam & infantiles filii clamores praeannuntiat. Ipsam *Menelaum* hi gemitus tangunt; afflicti lacris cum nunc miseret; a sententia huc usque servata discedit, stultitiam crudelitatemque agnoscens suam, & lacrimis oculos irrigare ut defuitat immaneque mutet consilium, hortatur, cognatos perdere haud amans. Laudat verba *Agamemnon*, sed simul, factorum graviter prementem necessitatem in memoriam revocans, puellae credem, communi *Calchantis* & copiarum, promissi immemorem religionem & armis insequentium, voluntate flagitam, non differendam, sed silentio tantum tegendam, existimat. Posthæc chorus primo beatos prædicat, qui verecunda sapientique virtutis disciplina edocti, moderata castæ Veneris tranquillitate gaudent, insanos Paridis errores funestamque multis discordiam fugientes, deinde reginam cum liberis advectam fausta acclamatione excipit. — Mater vero dum se suaque ad occursum regis parat, filia ad genitorem volare gessit, ab uxore vix salutato oscula figit, in amplexibus ejus hæret, veniendi veniam datam lætatur, & perturbatum tristemque vultum videns, quærendo, monendo, precando exhilarare nititur. Curis imperii longæque futuræ absentiae anxium animum causam mœstitiæ præferens *Agamemnon*, sacraque sibi ante navigationem facienda obscuris verbis significans, puellam, atrium inire jubet, & matri deinde, quo genere ortus quaque cura educatus sit & ubi locorum habitet speratus gener, quærenti narrat, de victimis, convivio facibusque nuptiarum parandis sollicitam tandem rogans, & invito animo jucunda matris officia deferentem, domum ut proficiscatur, jubens, filia suæ curæ relicta. — Dum chorus, illo a scena digresso, de futuro in Trojam infestaram cohortium adventu, deplorandam Phrygicarum feminarum sortem a se posterisque suis deprecans, canit, *Achilles*, querelas copiarum suasque *Agamemnoni* de injusta ad Aulidem cunctatione laturus, apparet,

B 2 sed

fed a *Clytæmnestra* propinque matronæ familiari more salutatus, ignotæ feminæ dextram tangere probum cum non deceat virum, mox refugere vult. Illa nuptiarum mentionem faciens, stuporem nova audientis miratur; miratur & ille, in errorem, utrique illudens, quis eam induxerit. At repente accurrit senex ille servus, perturbato ore opem viri implorans contra vim *Agamemnonis*, oraculi iusfu *Iphigeniam* immolaturi. Hæ illæ nuptiæ ad quas ducenda est virgo; hinc illi errores, matrem in indecora rapientes! Rei atrocitate commota hæc ad genua Dea nati fertur, tanquam numinis ad aram, per mentum, per dextram, per venerandam genitricem orat, puellam, quæ sua dicta est, licet infausto omine, sponsa, præsidio ut tueatur suarum manuum. Nec precibus opus est; virum, magna sentientem, indigna passurum ultro miseret: agitat gravius adhuc fraudis non ferenda contumelia. Per Neireum avum negat se passurum vim mulierculæ, propter suas nuptias perituræ, a patre aut vate illatam. Quod rogatus lubens dedisset nomen, nefario fallaciæ scelere nunc contaminatum, sanguine, si opus, ne nullius sit apud homines, purgandum est; sed antea mariti animus a supplice uxore rationibus & obsecrationibus compellendus. — Deos deinde, sollempnia nuptiarum Pelei Thetidisque in montibus Centaurorum agentes, prænuntiatamque *Achillis* gloriam, contrario *Iphigeniæ* facto afflictus, chorus celebrat. — Conveniunt interim *Agamemnon* & *Clytæmnestra*, ille, vultu & verbis ad benignam hilaritatem compositis, filiam ad fanum educturus, hæc, eadem cum parvulo fratre evocata, se, uxorem, liberos cur perdere properet, interrogans, perturbatum, gementem, tacentem, objurcationibus, precibus, minis invadens, & per fidem semper præstitam obtestans ne crimine nefando manus polluat. Addit *Iphigenia* innocuæ mentis sapientiam dulcissimamque filix, intimo affectu a parentibus optimis amatæ, tenerrimis pietatis

tatis sensibus nunquam non indulgentis, facundiam, Orphei cantu suaviorem: lacrimas fundit vel terarum in silvis errantium corda mollientes: supplices singultus & tacite loquentia fratris infantis suspiria in auxilium adhibet, naturæ humanæ fortissimis telis inhumanum patrem adorta. Sed frustra. Urget crudelem copiarum expectatio; manet intima mente reposita imago libertatis & gloriæ, Græcis vindicandæ; postulant hostiam, flecti nescia, *Calchantis* vaticinia. Inter lugubres miserarum clamores aufugit. Increpationes & preces sperantium jam excipiunt ejulatus de salute desperantium & diris exlirationibus sceleratam Belli causam abominantium, donec *Achilles*, cum delecta suorum manu adveniens, omnia in castris clamore iracundiaque turbata, suam non auditam a milite vocem, vi abducturum puellam venire *Ulysem*, adeoque ultima, vel vitæ suæ periculo, experiunda, indicat. Quibus auditis *Iphigenia*, gloriosam pro patria mortem, disidiis parentum, odio civium, incurSIONibus barbarorum, anteferendam sentiens, ultro, nunc matrem, nunc *Achillem*, ut frustra reniti cessent, hortatur, & Græciam totam in se intentam, agmina multorum ære armatorum servata, tutasque per plurima ventura sæcula virgines, ante oculos habens, sacra jam maturanda urget. Admiratur generosam animi indolem *Achilles*, beatam hac judicans Græciam; sed, honestam simul servare cupiens feminam, caram sibi quoque jam factam, ultima pollicetur auxilia, si forte eam temere initi consilii adhuc poeniteat. Matri lugenti varia supremæ voluntatis officia, multa cum consolatione & ingenuæ mentis suavissimo affectu injungit *Iphigenia*, comitari volentem prohibet, famulorum quendam se abducere jubens Ilii expugnatricem, & sublimi carmine, cum choro intercinente, *Dianæ* venerandum numen feliciaque Græcis omina celebrans, caro lumini supremum vale dicens, abit. Choro autem laudibus factum extollente fausta que omnia precante, reginam ap-  
pel-

pellans tandem nuntius pesterrefactum narrat, ordine justo paratis omnibus ad sacra vite obeundo, auditoque jam icu mortifero, repente e conspectu hominum ereptam fuisse *Iphigeniam*, & cervam palpitantem in terra inventam, cujus sanguine, aram humectante, se delectatam indicans Dea, vivam sine dubio ad immortales puellam abduxit. Idem testatur *Agamemnon* reveniens, cui denique lausam protectionem felicemque reditum optans chorus actum claudit.

Adeamus vero jam **RACINIUM**. Apud hunc, e somno excitatum famulum, *Arcadem* nomine, alloquens, scenam primus ingreditur *Agamemnon*, cujus verbis, beatam humilis loci sortem extollentibus, cum tristitia quadam emisissis, perterritus servus, in magnam anxietatem incidit, sollicite quærens, quæ causa sit tam insoliti sermonis, in rege, generis nobilitate, potentie amplitudine, gloriæ celebritate & domesticæ vitæ felicitate, inigni. Huic igitur exponit rex responsum, quod Græcis, ex Aulide profectis & litora jam Thrygica e longinquo fluvio clamoribus lætitiæ salutantibus, sed a ventorum flatu repente desertis, provocata sacris Diis quærentibus dedit, vana scilicet esse suscepti belli conamina, nisi sanguine Helenæ genitæ *Iphigenia* madetur. Atrocitate tam diti jussi perculsus, obtemperandum minime esse ipse quidem judicavit, sed ab *Ulyse*, subdola eloquentia, libertatis, honoris & imperii cupiditatem animo excitante, Diisque, per varias in somno oblatas species impiam misericordiam insectantibus, in contrariam sententiam raptus, ex Argis puellam, litteris missis, vocare coactus est, *Achillis* jam dudum eam auhentis, tum vero domum, hostes quosdam paterni regni lugandi causa, profecti, nomine, hymentos poscens. Hic vero inopinato successu victor jam reversus est, cujus presentis, & maxime pietatis, reverentiæ &

in-



innocentiæ, in filia nunquam non probatæ, recordatio, seniores sensus paternæ menti inspirant, adeo ut ministro, fidelitate a multo inde tempore conspicuo, epistolam aliam, nuptias usque ad reditum e Troja differendas indicantem, tradat, addita falsa novi ignis, animum viri comburentis, specie, reginæ portandam. Abitum nuntii accelerat *Achillis Ulyssisque* in scenam adventus, quorum ille, verane fama de *Iphigenia* ad castra vocata avertitur, querens, & ab hoc, cui indigna viro sorti, ad victoriam ruente, videntur amoris vincula, reprehentur, Græcos Trojano littore laboris avidum socium, quamvis dulcissimo otio belli curas aliquantulum mollientem, diu non delideraturos affirmat, & tandem, ne Diis invitis Trojam adortus ad definitum fati vitæ terminum temere properet, hortante *Agamemnone*, nulla futuri cura habita ad gloriam immortalem, vel hymenæis neglectis, sibi eundum esse, fortitudinis tantum, non voluptatis, jam memor, vehementi magni animi commotione a scena regrediens, profitetur. Vacillantem deinde *Agamemnonis* mentem, quid Diis, patriæ, sibi que ipsi, omnium maxime, per sanctam jurisjurandi, Tyndaro, Helenæ patri, dati, religionem, alios ad pœnas de sacrilega gente sumendas compellenti, debeat, recensens *Ulyses* confirmare studet. Loquentibus etiam *Eurybates* famulus cum nuntiet, *Clytænnestram* cum *Iphigenia* atque *Eriphile* Aulidem jam attigisse, in summas angustias adductus Mycenarum rex, non amplius dissimulandum, nec fugiendum esse ipse sentit: (hinc enim Dii, vel maxime providam irritam facientes prudentiam, hinc homines, ferreum genus, afflictorum lacrimis illudentes;) matrem tantum funesta in filiam machinans latere optat. — Secundum orditur actum *Eriphile*, perturbata, moesta, tristitiæ causam, amica *Doride*, quidni cæterorum gaudiis fruatur quærente, e captivitate incertæque originis fatali omine, cum tranquilla *Iphigeniæ* felicitate comparato, primum repetens, deinde, narratione facta vaticiniorum,

qui-

quibus obtemperatura ad Ilium tendens victori Lesbiorum cessit, non horrido, nec crudeli, sed amabili, miti, afflicti cordis tumultui compingendo impar flammam emittens, viscera jamdiu tacite labentem, nunc vero, adversis fortunæ tempestatibus agitatum, atris ad æthera voluminibus surgentem *Achillis* enim amore furens, ad *Aulidem*, ficto *Calchantis* audiendi studio omnes fallens, penetravit, vel invivam sibi *Iphigeniam* perdere, vel ipsa petire, parata. Sermones conferentibus intercedunt *Agamemnon* & *Iphigenia*, ille aspectum filiae evitans, hæc, inter amplectendum, gloriofam illius potentiam excelsosque honores prædicans, quibus tamen minime respondent trinitia vultus preslique cordis alta suspiria. Deos majorum, nescimus quorum, inguentium accusans pater, ad fœra quædam parandæ de teena properat. *Iphigeniam*, mali quid hinc suspicatum consolatur *Eriphile*, memoriam amati revocans; sed ipsius assentiâ haud faustum omen: oculis & voce lustratis in castris pondum apparuit. Suspicioni certitudinem addit *Clytemnestra* accedens & viam, qua nuper ventum est, mox repetendam indicans. Ab itinere aberranti nonnulli in ipsis castris nuper occurrit *Arcas*, litteras tradens, funestis signis plenas. Ingrati *Achillis* fugiendus jam est conspectus; *Eriphile* autem maneat, si velit, alium quam *Calchantem* quærrens. Odiola *Iphigeniæ* verba! Quem quærît *Eriphile*? *Pelidem* forsân, cujus imago, cæde, rapinis & flammis pectori captivæ infixâ est? Heu, heu perfidam, quæ credulam nimis amicam in profundissimum contumeliæ & miseriarum gurgitem detrusit! Adhuc innocentiam jactat, sed vultus fidem verbis detrahit. Jam adest *Achilles* ipse; miratur *Iphigeniam* in *Aulide* commorantem, patre contrarium asseverante: indignata vero hæc gressus profert. *Eriphilem* igitur interrogat, quæ causa huc veniendi. Nuptias, ab ipso desideratas, hæc commemorat, quarum igitur stupet, fraudem suspicatur, & lucem quæ-

quærens proruit. Illa spem ex his turbis concipit. — Error levata ab ipso *Achille* (ut videtur) *Clytemnestra*, illi nil magis in votis esse, quam ut matrimonium jungatur, initio actus tertii marito suo indicat. Assensum lic præbere simulat, sed, telis, armis, militibus nautisque refertos non prodeat in campos, dignum magna regina, sollempnem pompam ductura, splendorem non præbentes, cohortatur, obsecrat, jubet. Sola deinde dum indolem insoliti jussi pensitat, accedunt *Achilles* & *Iphigenia*, læti paterno jam cognito permisit. Venit etiam *Eriphile*, cui, falso suspectæ indignaque patri visæ, gratiam libertatis ab *Achille* precatur *Iphigenia*, cujus precibus addit deplorandæ sortis imaginem ipsa. Annuit ille, & coram populo ut solvantur servitutis vincula, jungantur amoris, prodire cuncti constituunt, cum *Arcas* irruens omniaque mala suo capiti dicens, dominam, ne filiam ad aram mittat, *Achillem*, ut eandem defendat contra *Agamemnonem*, Dianæ mox illam mactaturum, orat. Horrore audientium artus perfunduntur: demissa, gemens, genua futuri generi prehenstat mater, Deum, patrem, asylum innocentia eum vocans, & ad maritum perfidum deinde effuso properat cursu; *Achillem* vero, dolore & ira percitum, violatæ fidei & honoris causam suscipere haud cunctantem, dira multa *Agamemnoni* minantem, retinere conatur *Iphigenia*. Odiosa patri addita nomina horret pietas, sævitiam facti ejus tegunt beneficia semper accepta, necessitatique, non animo, eum parentem, nec odio, sed misericordia, dignum, fingit amabilis mulierculæ virtus; sancto autem paterno indignus titulo bellatori fero videtur, qui talia audet, amore languido & parum fideli ardens, quæ crudelis patris tantum tranquillitati confulit. Matris, a regis stipatoribus redire interim justæ, curis virginem tradens, suo mox præsidio tutam futuram, verbis quæ respondeant facta editurus heros abit. — Jam incipit actus quartus, in cujus prima scena apparet *Eriphile*, stimulos *Do-*

ridi ostendens acutissimos invidiæ, conspecta beata *Iphigeniæ* forte excitatæ. *Achilles*, leonum sanguine nutritus, semper indocilis pati, — — feminae periculo jam perterritus, pallidus, plorans, — en immortalibus dulce spectaculum! Quid non pro illa adhuc audebit? Sponsi virtute, matris furore, patris ignavia, Diis sine dubio eripietur victima. *Calchanti* igitur occulta molimina aperire — — ecce honoris, voluptatis, vindictæ, plenum factum! Sed venit jam *Clytæmestra*, & post eam *Agamemnon*, quid moræ sit quærens, omnibus sacro officio paratis. Vocata etiam advolat *Iphigenia*, plorans, non obediendi necessitati renitens, vel generis nobilitate conservanda minor, sed pietate meruisse sibi visa salutem, quam matris quoque gemitus & sponsi furores voce & factis efficacissime postulant. Invitum se ad atrociam patranda cogi testatur *Agamemnon*. Quænam vero resistentis vestigia? Arma, viros, sanguinem, funera, filia propugnatorem cingentia, desiderans uxor, gravissima jactat verba, nunc crudelitatem, nunc gloriæ aviditatem, levissimæ, turpissimæ, sororis causa sanctissima jura lædentem, objiciens. Duplici tandem opus esse dicit cæde, ut suis e manibus rapiatur puella. Solum deinde relictum invadit *Achilles* justis reprehensionibus, quas, imperare, non inferiorum monitis cedere, asuetus rex, protervus superbia, moleste admodum fert. Nec humilis in altero est spiritus. Rationes, quas ille reddere recusat, virgini data dextra, ignominia dolo inusta, & ipsa peccantis arrogantia, exigere hunc urgent. Deos autem, *Calchantem*, *Ulysem*, *Menelaum* & ipsum *Achillem*, professionem anxie flagitantem, cædis accusandos dicit *Agamemnon*, fugere hunc jubens, nisi parere velit. Unde tanta viro insolentia? Num suam causam acturus arma induit invictus *Achilles*? Huicne injuriam intulerunt Troës fœdifragi? Justissimæ igitur iræ affectu præcipiti fervens hic exit. Diversa deinde volvit *Agamemnon* consilia curarum pleno, inter

ter sancta Deorum præcepta, paternam lenitatem & *Achillis* insolentiæ deprimendæ cupiditatem, diu fluctuante, animo. Vocati jam adsunt satellites, hostiam educturi; at tandem humaniora vincunt, mansuetudini & vindictæ cupidini simul indulgentia: *Clytæmnestram* cum *Iphigenia* vocat, procul ab his locis, sed omnibus inficiis, præsidio militum tuto itinere, fugiendum iis esse indicat. Discedunt e scena. Latere autem non potest fuga, cum imprudentibus supervenerit *Eriphile*, abjecta jam omni secunda spe, ad nuntiandum *Calchanti* haud segnis. — Ultimam igitur actum incipit *Iphigenia*, *Ægina* famulæ narrans, excubias omnibus partibus agentes quomodo fugæ sese opposuerint custodes. Minus tamen hæc mentem angunt, quam paternum mandatum, vitæ servatæ omnem salutem auferens, *Achillem* nempe conveniendi occasione in æternum prohibens. At insperatus accurrit *Ipse*, *Patroclis* & *Thesaliorum* præsidio munitam ad sua tentoria abducturus puellam. Hæc contra, ultimam jam spem in morte collocans, sine qua nec Græcis salus, nec *Achilli* gloria ulla, fati monstratam ut ingrediatur viam honoris monet, cædem suam, Trojanis tantum funestam, lacrimis viduarum quamplurimarum gravissime vindicatam futuram, laudi sibi ducens. Parum autem dulcedinis amanti habet gloria, tanti comparata; secum abire ut properet, instat, sed summum malorum existimantem, si patri debita officia deserere cogatur, audiens, insanientis instar, sacra profanaque omnia sanguine irrigaturus, foras mox erumpit. In scenam vero prodit *Clytæmnestra* cum *Eurybate*, turbulentos in castris undique confluentes motus commemorante. Matri mentem nunc aperit *Iphigenia*, exspectata morte tantum delectatam, horridum sacrificii aspectum & loca cæde cruenta ut evitet suadens. Nec moram injicit *Clytæmnestra* ad aram pergenti; sequi tantum nititur: sed retinent apparitores, moratur *Ægina*, proditionis auctorem nominans *Eriphilem*. Exsecrationes in hanc,

in Græcos omnes eructat regina, donec, Jove fulminum ictibus terram quasfante, ab *Achille*, cum paucis suorum *Calchanti* cæterisque terrorem injicere volente, missus *Arcas*, eam ad templum vocat. Venire festinanti occurrit *Ulysses*, mira, læta, nuntians. Salva est *Iphigenia*. Discordia namque atras nubes in capita omnium contrahente, augur, numine actus, in medium prodiit, certius jam cognitam divinam voluntatem explicans, qua, non *Agamemnonis* filia, sed alia *Iphigenia*, in castris quoque præfens, posceretur. In *Eriphilem* versa sunt omnium ora: maeretur iratis Dis, undique clamatum; ipsa, ad aram volans, furore demens, sacro ferro pectus hausit. Auditus mox est cœli marisque strepitus, fulminibus, ventis & fluctibus secundam navigationem pollicentibus. Ad remos & vela alacri jam cursu properatur.

Hæc universa dramatis utriusque œconomia. In qua recensenda si longiores fuerimus, vitio nobis non vertatur, cum ex eadem site exposita, plurimæ & convenientiæ & repugnantia rationes sponte eluceant, & cæteræ, in singularum rerum dispositione quæ latent, a *fabulæ* diversitate necessario haud omnes nexu pendentes, dissimilitudines, facilius enodentur. Harum quæ maxime eminent, in ea operis parte quæ sequitur, attentioni jam oculo inspicimus.

Principium operis poetarum uterque in media nocte ponendum judicavit; sed vivis quod EURIPIDES imaginibus depingit terris incubans silentium, atras umbras sensim dissipantis auroræ lumine mox turbandum, nudis famuli verbis exponit RACINIUS. Simili ratione omnia fere hic neglexit, quibus ad perturbatos, animum *Agamemnonis* percellentes, motus exprimen-